DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. FEBRVARII.

M. IOANNE HAMON, Doctore Medico, Præside.

An Sana Sanis?

NATVRA numquam vna & simplex, numquam tamen facit nisi vnum. Si quid diuisum, operis destructio est. Etiam si artem spectes, nihil perfectum antequam vnum; nec est ampliùs, cum diuiditur. Corpus humanum opus naturæ regium & velut princeps, etsi mundum ipsum in se concludat, ex multis vnum est; & nusquam felicior vnitatis imitatio. Anima immortalis & corpus mortale res tam diuersæ, res tamen vna; hoc est homo ipse. In corpore magna quidem partium & naturâ & situ disjunctissimarum diuersitas, sed vnum est corpus. Membrorum omnium mira colligatio singularisque concordia, species quædam vnitatis. Quæcumque dissimilitudo sit, vna res est quoties omnia in vnum consentiunt. Quicquid ignis in nobis, à frigore non est alienum. Aqua jam non sua, etiam calorem fouet, fruiturque viribus contrarijs. Quod magis excellit, temperatur ad sanitatem. Quicquid peccaret sejunctum ab aliis, societate ipsâ fit innoxium. Hinc vt morbus ἕλκος, sic sanitas σύμπνοια. Nec tantùm in qualitatibus temperies, sed in partibus ipsis singularis quædam conuenientia est. Primùm ea compositio omnium, talisque conformatio quæ deceat. Nec eadem omnium natura: peruersa similitudo inueheret morbum. Quasdam enim læues esse oportuit, & facili quodam tractu perpolitas, qui omnem hæsitationem fluentis humoris remoueat. Aliis contra asperitate opus, intempestiua facilitate peccaturis. Quibusdam laxitas, alijs angustia vtilis; & sic major atque vtilior ex diuersitate concordia. Figura partium diuersa, sed quæ tamen vnius esse corporis facilè intelligatur. Partem nimis ingentem aut exiguam esse, morbus est: quare magnitudo necessitati par, vicinis partibus totique congruens. Quidã etiam numerus sanitatis est: Partes enim vel vtilissimas plures esse quã exigat natura, aut pauciores, etiã quæ minoris videntur pretij, vtrobique vitiũ est. Non est res fortuita natura, vt impunè mutetur. Si addideris aliquid aut detraxeris, ἀρμονία euertitur. Pars quoque sanitatis est, congruentem sedem sortiri, ac esse in loco naturæ. Mutatur quicquid locum mutat, & mox à naturâ deficit. Manus cui aliàs nihil desit, si capiti per se jungatur, monstrum est & triplex morbus. Vnius loci mutatio & brachium spoliat sua manu cariturum, caputque dedecorat, & deprimit superuacuo pondere, ac manum inutilem præstat, & quam natura jam non agnoscat, extra suos limites constitutam. Membrorum ergo structura non tantùm singulis apta, sed toti conueniens est. Sed in continuitate partium latiùs sanitas regnat. Nec tantùm morbus, cum illa soluitur, sed cùm minùs perfecta est. Hinc macilentiora membra, quorum non satis arctam cohæsionem luxatio fecit, licet non diuidantur. Quin partes subjectæ, vel remotiores, damnum sentiunt laxitatis alienæ: vt ideò promptam vitium hoc medicinam desideret. Nulla pars non alterius partis aut origo, aut soboles; nulla vacat alterius. Vnaquæque quodam necessitudinis compendio, dum proximæ parti jungitur, reliquis juncta est; omnis quoque illi commeatus, variaque auxiliorum subministratio, & si aliunde ab vniuerso corpore, non nisi tamen per illam influit. Nulli deest vis alterius. Si quod emolumentum corporis, nulla pars eo caret. Nec situs loci diuersus minuit societatem. Natura non sentit absentiam; & nihil illi abest, cum spiritus peruadat omnia, omnis conjunctionis artifex. Hinc animi jussiones in remotioribus membris tacitæ quoque sentiuntur, & nutum actio antecedit. Nusquam tam prompta & facilis obedientia, quàm quæ partibus corporis à sanitate est. Non agere illis, ægrotare est. Languidiùs agere, initium morbi. Actionum firmitas & constantia, perfectio sanitatis. Natura numquàm vacat; otium naturæ mors. Proprium tantùm opus pars quæque implet, multæ adjuuant, nulla impedit. Quamdiu sanitas est, nulla vtilitatem suam omittit, aut egens ipsa quod sibi necessarium est largitur alteri, stulto beneficij genere. Nulla sibi seruat quod in aliarum vsum refundendum est. Si secus accidat, eget quidem quæ fraudata est, sed majus in non transmittente periculum. Omnes sibi inuicem patent, & nihil clausum nisi ab externis. Imperuium esse proprio damno constat; quòd communi alimento atque calori non relinquatur aditus. Statim ægrotat quæ extra aliarum subsidium deprehenditur. Nulla prorsus inutilis, quia vt nihil aliud præstet, conjunctione sua inseruit, & quod vicinum est amplexu fouet. Toti pars quæque satis prodest, cum vnitur & sana est; cum morbum nec patitur ipsa, nec infert aliis. Sæpè membrum validius morbi causa est, sed partibus infirmis, quæ robur aliarum vertunt in damnum sui, difficillimo genere ægritudinis, cujus causa auferri non potest, nisi majori periculo. Hinc nocet sæpe parti infirmæ, si juxtà robustam sit. Morbum quamuis non suum vicinæ partes & cognatæ sentiunt. Grauè malum à dolore liberari sentiendi impotentiâ. Calor naturæ vis & potestas omnis, quò liberior ab omnibus impedimentis, eò major. Cum sanitas est, non inopia debilis, non plenitudine languidus, & non sui compos, nullâ obstructionum contumaciâ, nullis viarum angustiis interclusus ad putredinem, nullâ viscerum intemperie ardentior, nullo æstu immodico inuitatus ad excessum, cujusvis operis naturæ arbiter, & quod primum est, & quod vltimum administrat. Quæcumque intemperies, si multum augeatur, soluet vnitatem. Partem simplicem nec ex principum numero, non difficile est bene valere; Aliarum sanitas operosior, & quæ pluribus adminiculis opus habeat. Namque optimè nutriri, priuatæ partis laus est; at in eâ cujus officium publicum est, & quæ aliis etiam prodesse debeat, ni alia adsint, non sufficit. Frustra alioquin benè valeret, per quam ceteræ non bene valent. Quamobrem laudabilis illa temperies, quæ omnium corporis partium sanitas est, in organica aut principe, initium est tantùm quoddam & bonæ valetudinis minima pars. Nemo rectè morbum intelliget, cui perfectæ sanitatis idea non perspecta sit. Ægrotare dicitur vel cujus vna tantùm pars ægra est. Hominem sanum actionum omnium integritas facit, etiam in vnius defectu morbus. Benè valenti nihil in excrementis, quibus nulla sanitas caret, inusitatum, & insolens: nec præcipitantur ad exitum, nec nimium differuntur, insalubri tarditate nocentiora. Si quid leuius, per latentes corporis meatus, caloris beneficio, & sanitatis ipsius præstantiâ, etiam in nescientibus educitur. In secernendo dissimiles substantias, nihil fallit naturæ diligentiam. Præcipua hæc bene valendi securitas, vt quæ vi discreta sunt, loco non confundantur, nec humores naturæ contrarij, in ipso ejus sinu moliantur corruptelam sanitatis. Prima laus nihil gigni in corpore, quod sit nimium à naturâ abhorrens; secunda vt expellatur quod amplius emendari non potest nec prodesse. Quicquid verò excluditur, vtique impermixtum est. Rei vtilis jacturam natura nescit. Sanitas quæ minùs perfecta sit, faciliùs amittitur. Qui optimè valet, à morbo quidem tutior, non tamen securus. Nec firmitatis tantæ capax sanitas mortalis, vt sit extra morbum. Offensionibus externis mouentur etiam qui sani sunt; sed omnis earum impetus citra periculum desinit, cum desunt intus origines morborum. Vtque error aliquis contigerit, malum valde non proficit, nec hærent morborum semina in firmo constantique corpore. Non opus iis medico, vtilis tamen si adsit; In perfectâ enim sanitate aliquid etiam emendandum est. Arcebit igitur occasiones morborum, præuidebitque quod nociturum est; Si quid incommodi acciderit, statim occurret nascentibus causis, nec differet quod mora & dissimulatione augeretur. Vt nihil aliud, quamdam certè præstabit bonæ valetudinis decentiam. Non onerandi tamen legibus superfluis, quorum lex præstantissima, naturæ vis, & quæ interdum ab aliis legibus absoluat, quâdam sui efficaciâ. Quò ducet natura, tutum sequi, nihil desideratura quod sit noxium. Sic omnia sana sanis. Sed præsens in mala & non sobriâ interpretatione periculum: Ijs vero qui perditæ sunt valetudinis, & deficienti naturæ, nihil sanum. Quædam minus obsunt, sed nihil prodest. Omnia nocent perituris.

NVMQVAM corpus sanum, cum anima perturbationibus suis ægra est. In labefactanda bona valetudine nihil animæ par, cum in corpus sævit. Eadem verò cum à vitiis libera est, corpori suo multum prodest. Ad benè valendum, nihil animi quâdam æquabilitate præstantius. Philosophia etiam sanitati favet. Vix in loco insalubri perfecta sanitas inueniri potest, aut diu consistere. In pluribus certè minus valet natura valida corporis ad sanitatem, quàm regionis ipsius pernicies ad morbum. Aliquid deesse corpori tutius, quàm nihil addi posse, ingrato perfectionis genere, quæ magnitudine suâ laborat; ideò inclinata ad casum, quòd hæreat, nullius jam incrementi capax. Periculosa sanitas, si nimia sit. Suspectæ quoque Athletarum vires, & infirmitati proximæ, vel cùm validas putaueris. Nec placet corpus tumidum magis & pingue, quàm sanum. Gracilitas & macies à carnium mole libera, ferè diuturnioris vitæ, & aptior senectuti. Quo minus expectari debent morbi, eò grauiores, cum accidunt. Si vterque ægrotet, plus spei homini infirmo relinquitur, quàm cui præteritæ vires augent periculum. Ex altiori sanitatis fastigio periculosior casus. Si sanitas minus absoluta sit, non ideò morbus. Potest aliquid deesse etiam tutò, non ignoranti malum suum, atque in contrarium incumbenti. Quin prodest interdum corpori pars minus valida; nec rarò contingit sanitatem deberi morbo. Periculosum remedij genus, at naturæ prouidentiâ aliquando vtile. Fœdam illuuiem in corporis habitum ferri non gratum oculis, sed visceribus tutum. Periissent multi, nisi vtilis infirmitas grauiorum morborum causas consumpsisset, exhaustis leui damno humoribus necaturis. Aliis contrà infelix sanitas mortem attulit, dum pernicies integra, quia valent artus & partes extimæ, seruatur exitio viscerum; ideò liberi à leuioribus morbis vt periculosiùs ægrotent, & jam non sanandi. Quo verò magis à bonâ valetudine receditur, dubiæ major cura esse debet, quæ constanti quoque & firmæ semper tuta est. Diu valere non potest qui morbum quærit, aut non satis cauet; præsertim infirmus, & periculo vicinus, etiam si caueret. Hic facile ab externis causis afficitur; & causæ leues timendæ corpori per se ad morbum jam vergenti. Cum enim malum quod aliundè affluit, intùs aliquid sui inuenerit, rapitur vltrò à cognatâ naturâ, & simili intemperie auget opportunitatem morbi. Sed nec opus alienis causis: debile corpus & languidum sibi ad morbum satis est, ægrotaturum sponte, etiam si nihil impellat. Quod malorum omnium caput est, calor naturæ infirmior, nec par regendo corpori, facile vincitur. Ille verò alter calor naturæ inimicus, supra modum augetur, acerbus sensui, & quem tactus reformidet. Hinc superfluitates multæ; nec ipsa ejectio æquat abundantiam. Quamquam illis aliquod sit in arte subsidium, ferè tamen sanitas diuturna esse non solet, quæ tantùm Medici fide & diligentiâ vtcumque sustentatur, naturâ incolumitati suæ & saluti repugnante. Interdum tamen accidit, vt cum grauis morbus longæ infirmitatis causas consumpserit, tantò melius posteà habeant, quantò anteà periculosius ægrotauerint. Alij reperiuntur tam malè naturâ constituti, aut prauæ insuper educationis vitio tam alieni à bonâ valetudine, vt ne quidem sani dicendi sint, vel cum melius valent: νοσηλότερον ὑγιαίνοντες, quorum sanitas ipsa morbus est. Vultus ipse in quo prima morborum indicia esse solent, fidem facit periculi, & corporis infirmitatem prodit, jam ægrotantis, aut mox ægrotaturi. Hos nulla medicina saluos & incolumes præstet. Nimirum aberrantis naturæ morbosa rudimenta ne quidem ipsa in melius reuocauerit. Numquam sanum esse potest, quod ægrum ab initio finxerit. Hæreditariis quoque morbis obnoxios frustra valere speres: Collapsam à fundamento naturam excitare, & mutilati ortus veteres ruinas resarcire, inter quas creuit & adulta est, hoc supra artem, quæ ne vitiis quidem præteritarum ætatum emendandis sufficit. Aliàs enim quicquid inoleuit, sanari difficilius. Quodcumque iis hominibus sanitatis genus obtingat, nouis morbis tentari potest, antiquis exui non potest. Cum morbus seu arte, seu naturæ vi solius depulsus est, sanitas succedit. Vltimum hoc genus bonæ valetudinis, in quo sola spes meritò laudari possit. Quamuis enim jam non ægrotent, nondum tamen sani, & si metiaris omnia, propiores morbo. Namque & grauis infirmitas morbo superstes, & quæ ipsius magnitudini respondeat, sanitatem licet redeuntem diu differt, & memor originis propendet ad morbum. Ad hæc causæ ipsius morbi magnâ ex parte relictæ, & rei suæ fauentes, nascenti adhuc & infirmæ sanitati multum obsunt, & ni obsistas, morbum sæpè non satis fido discessu suspectum, & ex proximo imminentem, reuocaturæ in exitium ægri. Morbi enim redeuntis major ferocia, & periculosior exitus. Nec spes ferè recuperandi ampliùs, quod tam facilè amissum est. Morbo igitur vel paruas occasiones sapienti, omnis aditus obstrui debet: & confirmandæ sensim vires, post magnum morbum semper tardiores. Hoc habet ista sanitas conualescentium, vt remediis potissimùm roboranda sit. Sæpè redit morbus, nisi iisdem deffendatur bona valetudo, quibus reddita est. Sæpè post ingentem morbum numquam redit natura ad primas vires. Alij cum infirmiores non videantur, certis tamen conuersionibus temporum, antiquæ ægritudinis admonentur. Quidam tam fœlices, vt melior post morbum valetudo contingat; quod insolens, nec expectandum. Quò grauior morbus fuerit, quidquid peccabitur, minus impune erit. Diligentem & timidum esse prodest. Præteriti quoque periculi diu meminisse salubre: festinata bonæ valetudinis fiducia procliuis in morbum. Firmior erit in posterum sanitas, cui non statim creditur. Nihil periculosius artis tædio. Numquam certè magis integrum judicium Medico permitti debet, quam cum adhuc dubia sanitas est, nec longè morbus. Sed multi non tam sanari quærunt, quàm Medicis probari intemperantiam suam. Et nihil sibi præscribi patiuntur, nisi quod noceat, tantùm damno suo contenti. Nec difficile tales inueniri, quibus digni sunt. Quare cum exitium impetrauerint, jam obsequuntur. Hi cum erga seipsos iniqui sint, nimiùm profectò Medicis suis tribuunt, quorum assensum & adulatrices conjecturas, aduersus morbos valere posse arbitrantur. Quasi verò opinionibus sanarentur, non remediis, quæ ne quidem prosunt, cum imperitè præscribuntur. Haud equidem artis veniâ opus, & suffragio medentium, sed ægri temperantia & viribus corporis. Postquam fungis aliisque voluptuariis venenis securitatem promiserint, par periculum. Et cum res nocentissimas absoluerint, æquè occidunt. Manifestum quoque calorem negantibus, illudet febris, etiam adjuta mendacio, & mox cum fœnore reditura. Non enim hæc authoritate constant, sed naturâ, cujus leges non pendent ab hominum arbitrio, quia æternæ. Nec rationis quidem aduersus sanitatem vllum pondus; & non audienda, si faueat morbo. Quamobrem quidquid à Medico malè conceditur, tantò periculosius est, quanto magis innoxium creditur. Cum enim morbi negotium, sanitatis nomine vocatur, libera jam intemperantia securiùs peccat. Non tamen negauerim, interdum quæ non valdè nocent, permittenda pueris; non quo prosint, sed ne contumax ætas nocentiora vsurpet. Sed aliud est seipsum ad infirmitatem aliorum demittere, erigentis industria; aliud adulantis affectu. Alioquin lucri genus est, cum grauius damnum leui jacturâ redimitur. Sed si inferatur vis medecinæ, prorsus repugnandum monstrosa alimenta etiam à Medico quærentibus, nec adjuuandus furor perire volentium: vt quando obstinato sunt animo ad perniciem suam, saluâ nobilissimæ artis dignitate, pereuntibus tantùm imputetur.

NATVRÆ perpetuò deficienti, alimentum semper necessarium. Frustrà numquam anteà defuerit, cum primùm deest. Malè nutriri, satis est ad morbum: satis est ad mortem non nutriri: fames etiam sola occidit. Vt ex arte victum præscribas, distingue sanitatem & morbum: In benè valentibus, ætates etiam distingue: in omnibus distingue vires. Adulti hominis liberiorem victum non ferret primæ ætatis puer, qui etsi benè valeat, similis tamen ægrotanti est. Alimentum calori nostro respondere, naturæ lex. Imbecillo calori parcior cibus conuenit, robusto copiosus. Vigor crescentium ampliori alimento sustentandus. Incrementa naturæ ad ætatem validiorem tendentis, intempestiua inedia non frustranda sunt; nec injiciendæ compedes ad robur properanti. Est & in eadem ætate discrimen. Quorum animus procul à segnitie, quâdam caloris incitatione & fiduciâ alacrior, & feruens juuenta, addendum aliquid & ampliandum ætatis quoque ipsius priuilegium, cibos perfectè coquentibus. Senes parciùs habendi: alioquin exilem flammam & cautè tractandam, ingesto abundantiùs ligno extinxeris. Adolescentem qui ad infirmitatem senum accedat, non juuat ætas: sed pro sene habendus, qui corporis vitio similis est. Non interest quis sit annorum numerus, sed quæ sint vires. Frustrà ætas virilis est, si nulla vis. Quin periculosa minus infirmitas quæ potest excusari, quam quæ ætatem roboris occupat, & cui naturæ beneficium non prodest. Quidquid auget sanitatem, cibum augeri postulat. Hyems addit aliquid consuetudini: vberiori alimento firmandum corpus aduersus temporis injuriam; & hoc frigoris beneficium est, quòd naturæ calor, qui molliori tempestate facilè diffundebatur, ad locum originis reuertitur, jam robustior, cum externa reliquerit. Cibi somnique magna necessitudo. Cibo pleniore vtentibus, somnus longior competit; nec ipse commodiùs prouocatur, quàm cibo. Alimentum vigilantem lædit, nocentioresque cum cibo vigiliæ. Prauis eduliis vescenti, somnus difficilis & insedatus, somniorumque errores turbulenti. Crapulæ indulgentibus sopor magis quàm somnus. Alimentum copiosius quod exercitationi conuenit, inutile inertiæ. Corpus exerceri semper prodest, dummodo non impurum; si corruptis refertum sit humoribus, nihil æquè reddet obnoxium morbo. Laboris autem & cibi cum mutua quædam proportio necessaria sit, vtriusque conuenientem in vno quoque modum difficile assequi. Sed leuis excessus in beneualentibus sanitate ipsâ compensatur, & periculo vacat, si absit consuetudinis temeritas. Alioquin timidis & cibum semper formidantibus, imperita temperantia magno constat. Nemini vmquam absque sufficienti cibo robustum esse contingit. Laborem excludit fames: & difficile perpeti, etiam cum non junguntur. Debitus ordo laborem anteire, & cibum sequi. Cum augetur labor, cibum quoque augeri veluti naturæ jus. Actum enim de viribus, si non sustentari contingat, vel cum non exhaustæ sunt. Sudor ergo pleniorem cibum exigit, sed quem tantisper expectari necesse sit. Æstuantia adhuc viscera cibo imparata offenduntur. Quantùm fieri potest quædam quies antecedat & sequatur: æquum naturam cibo frui, à quo illam statim auelli intempestiuo labore periculosum est. Qui ita insalubri otio addicti sunt, vt omni conuenientium exercitationum beneficio careant, emendatrice omnium incommodorum temperantiâ subueniendum, quæ major esse debet, ingenti illo præsidio carentibus. Sed pessimè accidit, quòd qui laborem respuunt, facile vincantur intemperantiâ: ergo leuior cibus proderit, languido calori par. Exercitij vtilitatem probat carcer: quos enim acceperit, situ & squalore implet, otio ægros, etsi alia præsto sint. Benevalere ergo non potest, qui laboris negligens est, cum interim validioribus cibis impleatur. Alimenta sudantium contraria sunt otiosis. De homine pigro actum est, qui cibo intemperanter indulgeat, cum sobrium esse necesse sit, etiam qui laboret. Alimentis recentioribus vis major. Refert quoque vnde deprompta sint. Quæ ex locis patentibus & editis à cœno libera & sordibus, magis idonea robori. Ægrum animal nihil sanum suppeditare potest. Quilibet fructus cui deest propriæ naturæ maturitas, nec habet vtilitatem ortus sui, prorsus insalubris. Inæquale alimentum quod sibi non constat, diuersarumque est virium, minùs probandum. Si enim cibi multiplices & diuersi obsunt, non prodest esse vnum, qui in seipso turbam exhibet. Facit ad similitudinem ejusdem cibi vsus perpetuus; nec difficile in ipso quoque vultu & moribus vtentium agnoscitur. Bonus odor alimenti, calorem arguit. [illegible] fugiendum. Nec opus judicio, cum sensus improbet. Alimentum noxium, si aduertas, etiam sine Medico seipsum prodit. Nam vel graui odore deprehenditur, aut colore displicet, aut sapore damnatur. Sed hoc naturæ beneficium occultat coquus, ventris adulator, malumque per se appariturum velut datâ opera excusare nititur, vt quodam artis mendacio fallat incautos. Non multi sunt cibi exquisitæ conditionis; tutius optimis vti quam errare per multos. Qui sani sunt gaudent vsu similium: Intemperatis quod appetunt insalubre est. Alimentum ergo exhibe quod naturam emendet, prauæ indoli contrarium. In eligendo cibo malim sobrium quàm subtilem: faciliùs enim cognoscere quod sanum est, quàm malle. Panis alimentum simplicissimum & optimum, sed quo multùm repleri magis noceat. Quò præstantior cibus, majus periculum si alieno tempore vsurpetur. Vinum remedium alimentumque jucundissimum, sed abutenti pejus morbo. Ebrietas fœdum mali genus, nec vnius morbi nomen: animæ & corporis graue vinculum: ardet libidine, & infœcunda est. Sed hæc ebrietatis infamia in vinum non cadit, suæ laudis securum. Hoc mœroris & tristitiæ solatium, sanitatis custos, causa pulchritudinis, alimentum spiritus, frænum putredinis, famis non conuenientis remedium. Aliis quidem infirmitatis, aliis autem origo virium: sed alienâ culpâ nocet, vi suâ prodest. Cum idoneos inuenerit, nihil potentiùs adjuuat. Pueri tanti vim auxilij nondum capiunt, ideoque interdicitur. Senibus & jam ætate prouectis prorsus congruit. Aliorum enim malorum acerbitatem consolatur, & naturæ deficientis totum pondus sustentat. Aliis ætatibus nec semper concedere ausim, nec semper interdicendum putem; quia & sæpè conuenit, & non rarò nocet. Quæ illius mensura esse debeat, vniuersim statui non potest, quia interest quis vtatur. Vinum venenis omnibus contrarium, & commune ἀλεξιφάρμακον, certam causam non requirit vt juuet. Dummodo aptè vtaris, cicutæ vim omnem retundit; at si cum cicuta ipsa misceris, non distincto veneni tempore & remedij, certa mors. Hoc vino proprium, quod non lentè prosit, sed præsens auxilium suppeditet, & quod facile agnoscatur. Non diu expectandum vt nutriat: quin alios quoque cibos in transitu morantes facile promouet, redditque naturæ. Vinum ebriis non congruit, sanat tamen quidquid vitij ebrietas jam transacta reliquerit. Vinum iratis & furentibus non conuenit, postquam tamen animi perturbatio sedata est, cum lucro sumitur. Vinum infirmitatem auget ęgrotantibus, postquam tamen sublata est ęgritudo, restituit vires, artusque morbo extenuatos implet. Vinum somno vtile, idem tamen vigilantiores pręstat, & somnolentiam discutit. Vinum molem corporis detrahit, idem nihilominus rabem emendat, & corporibus nimiâ macie confectis prodest. Vinum humorum alienâ vi nocentium exclusionem adjuuat, idem tamen euacuationibus medetur immoderatis. Vinum febri venenum, idem tamen ex tristitiâ aut leui de causâ febricitantibus remedium est. Prout vini vsus laudabilis aut noxius, membrorum agilitatem conciliat, aut grauitatem corporis: erigit animum, aut frangit: naturalem sitim creat, aut auiditatem bibendi inexplebilem: famem adfert expetendam, aut insalubre fastidium. Vinum dolorem soluit, & quanquam virtutes & vitia non sumantur ab alimentis, lenitatem addit, fortitudinem excitat, & quod iners aut pigrum in corpore, acuit. Si quis timeat sibi à frigore, vino fidens vtatur, cujus natura calor est: ideóque ingenerare calorem aut fouere proprium opus. Mirum verò, cum tantas vtilitates scientibus afferre possit, tam sępè malo sumi vtentium. Sed in re maximi momenti quisque sibi credit, nec multum requiritur Medicus, cum remedium ipsum facile est, & per se placet. Iungendi vino alij cibi, nè grauiter noceat, si velut incomitatum jejunę venę acceperint; escis tamen ventrem nimium replere, qui abundantiori vino vtitur, ęquè noxium. Nec vacat periculo, si hauriatur post voluptatem fructuum obnoxiorum putredini. Medetur quidem oculis, visumque acuit, si à Medico pręscribatur: cum sponte vsurpant ęgri, impatientes necessarię abstinentię nihil ęquè nocet. Insani à vino arcendi, ne addatur furor. Si caput infirmũ, nec constans ratio, adimitur. Quibus vinũ non ita congruit, commodũ si pręmissus aquę potus, velut viã sternat, molliatque habitũ vino repugnantem. Nec tantùm aquã antecedere, sed subsequi prodest. Vino securiùs vtetur, qui aquã non respuet, minus quidẽ palato gratam, sed coercendæ naturæ idoneam. Vtriusque societas sanitati fœlix. Non multi sunt quibus vinum singulis quibusque diebus competat. Ferè ex interuallis vtilius. Pomaceum semper conueniet, aut aqua ipsa & alia id genus infirmiora. Aquam laudamus quam latæ nubes & plenæ in cisternã effuderint. Potus quem ars inuenerit, non improbandus, sed magis naturæ dono inhærendum.

QVID præstent alimenta insalubria, in populorum fame & inopia pridem cognitum. Cum enim sæpè humani cibi defectu ad ipsa belluarum alimenta descenderint, omnis generis morbi consecuti, & pessimis alimentis pares. Hinc arcta illa famis pestisque societas, & velut fœdus quoddam ad subsequendum. Egere & pati vicinæ res, cognatæque naturæ. Qui deterioribus alimentis vtitur, etsi noxam non perceperit, nòn ideò se saluum putet, quamdiu causæ supersunt ægrotandi. Non statim quod obest morbum infert. Leue vitium quod statim deprehenditur: Et facili remedio emendatio constat. Cum autem prauus humor delitescit, & intra viscera otiosè corrumpitur, nonnisi in magnum morbum emergit. Nec ante sensus est periculi, sanos se tunc quoque credentibus. Diu morbi fiunt, maximè qui statim necant. Tanta verò corrupti hujus cœni pernicies, vt furiosorum animalium interdum rabiem æquauerit. Adeò non cedit externis venenis, quod ex nobis nasci potest. Hinc cum primùm erumpit ex latebris, & pestiferam vim exhalat in partes principes, natura impar certamini in primo congressu vincitur. Quod verò mireris, fortè lenis error, & qui excusari potuisset, tam magnæ calamitatis inuidiam sustinet. Atque ita in homine infirmo & sui negligente, alimentum minus aptum aut optimum quidem, sed alieno tempore vsurpatum, aut omissa purgatio, laborque intempestiuus, causæ vt videbatur imbelles & pene nullæ tam atroci exitu concluduntur. Etiam ab vno haustu aquæ contagio orta est, quæ manaret in populos. Pestem aura venenata aliquando in vniuersum orbem sparsit, & quosdam vel vna tantùm corruptissimi aeris inspiratio, quolibet veneno breuiùs, momento occidit: vt nec periculum intelligi potuerit. Quod ergo sanitati nocere non vana suspicio est, numquam vsurpandum. Nec malum exiguitate defenditur, cum possis carere. Melius innoxium quàm leuiter nocens. Quamquam non paruum quod non rarum: non enim refert quam ex se leue sit erratum, cui ab assiduitate ipsâ magnitudo est. Imprimis verò fugiendum quod vires minuit, nec vlla ratio probabile reddat, quod nociturum est. Quin malus etiam cibus, qui melioris locum tenet, aut omnino inutilis. Quanquam enim deterius sit quod nocet quam quod non prodest; sæpè tamen cum præsenti subsidio opus est, ingentis mali vim habet non prodesse. Nihil satis infirmitati tutum, quæ multis morbis ideò pejor, quia omnibus obnoxia est. Non proinde concedendum, quod bene valentibus conceditur; nec in tam dubiâ sanitate vsurpandum, quod tantùm perfectæ sanitati conuenit. Nihil ægris magis nocet, quam quod sanis maximè prodest. Imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus. Minus certè alimenti tunc dandum est, quando si liceret per corpus, omninò non daretur. Non aliter ergo habendi quam qui à morbo conualescunt. Æquum enim vt qui similes sunt ægrotantibus, nec victu multum differant. Si negligentia infirmitati conjuncta sit, aut præcipienti medico non credant, numquam melior valetudo speranda est, etiam expectanda pejor. Sin adhibitâ diligentiâ & consilio summopere aduersus infirmitatem obnitantur, naturæ vitium forsan emendabitur. Sæpè pertinacia juuantis, malum corpus vincit. Qui publicis muneribus addicti sunt nec sui juris, non temere vel ad meliora impellendi. Ferè enim præstat mediocritate quadam sanitatis contentum non tentare quod obtineri non possit, & cum periculo moueatur. Quamobrem qui perfectæ sanitatis securitatem quærit, non suscipiendum temerè, aut etiam deponendum onus publicorum Officiorum, cum iis etsi maximè velint nequidem facultas suppetat requirendi Medicum. Absque hac benè valendi prudentia, non fugientibus origines morborum & primitiuas causas, nulla medicina vtilis. Numquam rectè sanitati consuetudo opponitur. Rerum vtilium consuetudinem facere & noxiarum fugere, id demùm vtile. Licet plures ægrotent, nemo ad morbum cogi potest. Quamuis alimentum sit optimum, non ideò quouis tempore capiendum. Quando accedere vtilius sit, benè valenti fames indicat, ipsumque tempus per se admonet. Qui minus commoda valetudine vtitur, à Medico quærat. Et cibum sæpiùs sumi salubre est, & periculosè vel semel tantùm sumitur imparato corpore, & cum incautè fit. Consuetum verò prandium aliquando omitti, & salubre & noxium. Tantùm interest quæ causa sit. Si enim grauitatis quidam sensus & suspicio febris persuaserint abstinentiam, detrahet illa periculosum pondus, concoctis humoribus superfluis, & cibo aptiorem reddet. Sin negotiorum multitudo imperauerit jejunium, escâ necessariâ corpus priuari non potest absque jacturâ virium. Quamuis autem ad compensandum errorem substracti cibi eum augeri posteà deceret, non ferrent vires jam minus validę. Corpus tantò minùs copiosioris alimenti capax, quanto egentius. At si grauis longioris temporis inedia pręcesserit, major adhuc prudentia requiritur, cum parcissimum in cibo esse primùm opporteat, qui diu cibo caruerit. Quibusdam gradibus redeundum ad alimentum etiam necessarium; alioquin lethale, si diuturna abstinentia statim in abundantiam desinat. Suos natura limites nouit, intra quos hærendum. Si quis diebus septem continuis cibum omnem respuerit, frustra cibus postea offeretur, etiam petenti non profuturus, quòd omne cibi tempus idoneum elapsum sit. Etsi enim ore & dentibus confici adhuc vtcumque possit, intus tamen hæret inutilis, quòd desit jam operi natura, diuturniorem moram non ferens. Is alimenti modus esse debet, qui prosit. Qui post cibum pigrior, pondusque percipit, aut omnino pejus habet, naturę modum excessisse putandus est. Nimia quoque fames atque vrgentior, sæpè contrarium naturę suę signum est, dum ob antecedentem excessum jejunium imperat. Suspectus non proficienti cibus esse debet; si enim conueniret, firmaret corpus viresque largiretur. Alimentum copiosius impuro corpori major pernicies. Placere alimentum sanitatis interest. Si per se gratum sit, semper securius. Ferendum tamen interdum inuitari languentem stomachum, & velut impelli ad necessarium officium, dummodo vis naturæ non inferatur condimento inutili; nec adsit coquus artis suę peritior, qui alienę culpæ reus & suæ, edentes vltrò inuitat ad intemperantiam, & noxium ipse cibum præstat. Seruanda cibi interualla quæ conueniant, medico magis cognita quàm priuatis. Vtile tamen consilium, offerri non debere, nisi ex priori vtilitas quædam percepta sit, quod ex majori robore cognoscitur. Qui faxit secus, corpori onus accedere, non alimentum. Properati cibi manifesta pernicies, diuturnorum morborum causa contumax. Hinc multorum languor non expectantium famem. Hinc grauitas animi & corporis: & cum non ægrotant, sanitas pejor morbo. Quanto autem alimentum potentius, aut qui edit infirmior, tantò parciùs vtendum. Virium imbecillitas pleniori quidem cibo erigenda, non tamen semper id tutum. Causarum diuersitas discrimen aperiet. Si enim labore aut causâ externâ ita vires imminutæ, vt constet corpus, remedium cibus præstabit. Si morbi vis aut doloris acerbitas vires fregerit, nihil in cibo præsidij, repetendæque vires à purgantibus, quæ infirmitatis causam auferent. Non idem tempus esse debet alimenti & remedij: & si vtrumque confunditur, neutrum prodest. Aliud est excludi è corpore quod insalubre est, aliud induci quod vtile: omnia suo tempore fieri, sanitati fauet. Ad sanitatem redeunti & vires facilè recuperanti, seuerior disciplina non conuenit. Qui tardus est in reditu, aut sæpè in viciniam morbi relabitur, qua ratione secum agendum sit, periculo suo docet. Morbi quoque natura noscenda est; nam si liberior cibus initium illi dederit, parciorem in eo esse postea conueniet, recordantem originis morbi. Si majoribus remediis & sæpius vsurpatis, superata vis ægritudinis, liberaliore victu reuocandæ vires. Nec valdè formidandum in concedendo iis cibo, qui nulla ipsi remedia reformident. Contra verò omne καθαρτικόν recusantibus, diuturna abstinentia vtilis. Post magnum morbum, vel meliori cibo cautè vtendum; quid ergo accidet, si noxius offeratur? Aliquid licet benè valentibus, quod tentari non potest ab infirmis. Aliud est sanum esse, aliud à morbo recreari. Quamuis autem tunc corpus cibo confirmari opporteat, si tamen infida curatio præcesserit, non festinandum in nouo morbi periculo. Quo primùm die offerendus cibus, definire superuacaneum; opportunitas enim spectanda non tempus.

NON eamdem omnibus alimenta vtilitatem afferunt: & frustra simile est quod accipitur, cum sint dissimiles qui accipiunt. Hinc ejusdem alimenti contrarij repugnantesque effectus, prout vsus diuersus est. Etiam quod sæpe minus aptum, non ideò insalubre. Nullum fermè quod interdum prodesse non queat, si opportunè vsurpetur: nullum quod nocere non possit imperitè vtentibus. Nec vero semper eligendi meliores cibi. Aliquando magis prosunt qui videntur inferioris ordinis, si naturæ magis congruant sumentium. Quamobrem rerum circumstantium earumque quarum major nobis conjunctio est atque intimus vsus, natura omnis prout variè affecti sumus, aut nocet aut prodest: morbique vel sanitatis eam causam induit quam à nobis sumpserit. Quæ duriora sunt & calori contumacia, quosdam tantùm juuant: aliis cibis facilitate sua atque ipsa teneritate lædentibus. Soluunt quibusvis contraria inesse videbatur. Adeò refert quæ natura vtentium & quis vtendi ordo sit. Quapropter vt non tantum remedij quod assumitur habenda ratio est, sed etiam assumentis: sic non solùm qualis cibus exhibeatur videndum est, sed etiam quale sit corpus. Noxia bonæ valetudini comparatio, quæ de alimento tantùm judicat, nec metitur vires vtentium. Frustra certè vniuersim laudabile est, quod priuatim nocet. Hinc nihil ferè in præscribendo victu perpetuum, & paucæ leges quarum non sit interdum laudabilis exceptio, cum id exigit necessitas sanitatis seu præstantior quædam vtilitas. Multi gula & ventre sibi ipsi hostes, ex cibo qui prodesse debuerat, exitium hauriunt. Sic sanitatis causæ in morborum instrumenta conuersæ. Tam graue malum voluptas intulit. Hæc quamuis per se & sola, mortis causa sit, quia tamen jucundè nocet, periculumque suauitate lenit, nullis satis terrentibus morbis auidissimè rapitur. Iustè tamen accidit, qui voluptatem maximè sequantur, minime consequi. Sic voluptatis dilectrix intemperantia sibi ipsi pœna est, Ab ea oriri morbos aut foueri sciunt, qui abstinentia sanantur. Febris ipsa quæ sæpius post cibum incipit, causam suam agnoscere videtur. Cum morbi maximi à medicis vincantur, hæc non cedit arti; nec prius medicina vtilis, quàm ægros ab æmula sejunxerit. Periculosum est enim intemperantiæ admisceri non profutura remedia. Nec tutò curantur qui sanari nolunt. Infantibus deprauationes distortionesque membrorum inuehit, & pluribus immaturæ mortis causa est. Iuuenibus morborum inundationem affert intemperantia, non ætas. Senes ætatis vitio sæpiùs ægrotantes non raro temperantia vindicat, obtunditque incommoda senectutis. Grauitatem cœli inæqualitatesque temporum, alimentorum insalubritatem, & mutationes semper timendas bonæ valetudini lenit & mitigat. Sitim arcet, & minus obnoxia est lassitudini. Denique quidquid nocet, temperantiæ patrocinio minus est: & quicquid vtile, magis prodest. Qui rectum vitæ cursum tenet in paucis, parum prodest: Qui sobrietati jungit intemperantiam, etiam multum nocet. Bonum quod non sit perpetuum & sui simile natura respuit, quæ frequentibus illis redeuntis gulæ interuallis velut intercepta, antecedentis quoque & subsecuturæ cujusdam temperantiæ falso & breui solatio læditur. Numquam plenitudo nocentior, quam si jejunio successerit. Nihil peius sobrietate pauci temporis. Fami etsi naturæ rem & sanitatis procuranti non statim credendum, quia sæpe causas habet à sanitate diuersas. Aliquando exiguus calor multum cibum desideret, coquendo impar. Atque hujusmodi hominibus quid possint salubrius cogitare, quam quid velint. Alij non infirma valetudine, cibum coquunt, nec valde flagitant; quare tunc fami præire vtile, quæ frustra expectaretur, cum famem illis cibus ipse afferre consueuerit. Nonnulli sunt quibus fames calori respondeat, qui cibum attentè appetant & optimè coquant; his vtile est voto suo frui, & naturæ felicitatem sequi. Non desunt quibus cum prorsus necessaria esset abstinentia, vrgentis tamen infirmitatis conditio quædam in causa sit, vt etiam aliquid fami indulgeatur, metu grauioris mali. Sed hoc genus nec frequentis nec tutæ experientiæ. Interdum vero fames aut ipsa morbus est, aut morbi signum imminentis, eò major quò jam non naturæ. Nec difficile judicium, quia auiditate ipsa & moræ omnis impatientiâ proditur. Hi cujuslibet prandij statim obliuiscuntur, perituri vt credunt, nisi iterum etiam alieno tempore festinetur cibus. Quæ naturæ conuenit, quamuis cibum optet, flagitat modestiùs: nec statim de cœnâ cogitat quia prandio fruitur. Illa verò altera remedio indiget non alimento, nec curatur quamdiu indulges. Si verò innocentiùs fames sed præter consuetudinem aucta sit, nec satis idoneam sui causam habeat, vt quæ subita & velut extemporanea, nec longè forsan disjuncta à quodam fastidio, intelligi periculum debet & conueniri Medicus, qui famem reprehendet intempestiuam, & prorsus refellendam jejunio, vt morbus auertatur. Sanis quoque sæpe vtile famem suam esse suspectam. Interdumque surgendum à mensa cum adhuc placet, vitandi fastidij causa, cum videlicet fames non ampliùs naturæ necessitati inseruire videtur, sed tantùm consuetudinis desiderio, quæ facilè per se quamdam famis similitudinem repræsentat. Tunc parcior cibus quamuis primùm molestus, facilè tamen posteà sufficere agnoscitur: tumque ferè euanescit falsa illa fames, cum vera magis perseueret. Hoc tamen habet dilatum nimis alimentum vt minus appetatur; quia natura cibo non sustentata incipit fieri deterior, nec jam ad famem sufficit; aucta infirmitate non congruenti jejunio. Cæterum alimento priuandus qui fastidit; sed periculosus fastidium, quod ne quidem abstinentia sanauerit. Si quis prauo alimento vsus est, aut bono perperam & abundantius, huic malo obnoxius est. Calor quoque supra modum auctus minuit famem: nec facile est stomachum quem humores impleuerint alieni, & velut suum fecerint, parere desiderio melioris cibi. Ab eadem febre modò fames modò fastidium. Adeò nihil certum quod non sit naturæ. Numquam verò magis fami repugnandum, quam si violentæ febri conjuncta est. In aliis non satis cautum esse, error quidem, sed qui emendari potest: At in ipso febris incendio alimentum exhiberi, ferè semper tristi exitu contingit. Nec diu expectandum: mox vt acceperint venenum est. Quemadmodum enim conjecto in ignem oleo, subita quædam flamma attollitur, quæ perstringit oculos intuentium; sic vbi alimentum febris complexa est, aucta jam & prompta pabulo, reliqua sanitatis omnisque spei præsidia consumit in vniuerso corpore. Hinc æger respirat grauiùs, sitit ardentiùs, jactatur impotentiùs, deficit frequentiùs, furit implacabiliùs, & in mortem velut accersitam festinantiùs voluitur. Ne in cibi naturam causam refundas. Alimentum optimum, sed pessimus morbus. Nec dubitauerim ex communi victu belluarum minus fore periculi homini sano, quam ex ipso victu bene valentium homini ægro. Quare cum nihil æque necessarium, quàm solidiorem cibum subtrahi febricitantibus, antiquissimus vsus, & nihil prius in arte constitutum. Necessitatem quoque facilitas commendat. Nam cum in multis vires ita prostratæ sint, vt nullum præsidij genus pati possint, quo conualescant: à nocituro cibo abstinere, vnum est remedium quod nulla infirmitas respuere potest. Et certè robur addit ægrotanti, qui morbo demit: Quin naturam interdum sola hæc sanat abstinentia, jam vacantem morbo, ejusque causas sensim expugnantem. Si nihil aliud, saltem retardato morbi impetu, & non afflictis viribus, aliis remediis aptum præstabit atque arti facilem, quę prorsus inutilis est, si quantùm ad cibum spectat, nullum ęgrotantis & sani discrimen.

Ergo sana sanis.

Proponebat Lutetiæ IOANNES GROVLT Cæsaroburgensis, A. R. S. H. M. DC LX.

F.M.P. BIBL...